



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

XII. De vinculo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Iraque si huiusce particulae usum colligas, multiplex planè apparebit. Tum coniungere & copulare partes: Tum facilitatem ac promptitudinem motus iuuare, cum sit leuis planè substantia humorèque lubrico delinita. Tum verò ob molliorem minùsque, quam ossium, contumacem naturam, motum eum absoluerè, quo dilantur & contrahuntur membra; vt in thorace, & arteria aspera. Tueri quoque ac defendere ossa, ne a nimio motu conterantur aut frangantur. Quam ob causam inter illorum coniunctiones interponitur; neque vllus articulus non leuitate hac oblinitur: Aut etiam prohibere, ne caro ab ossis duritate lædatur dum mouetur. Confert etiam ad respiratiõnem in aspera arteria efficiendam, atque in gutture ad formandam vocem. In quibusdam verò partibus est velut proprium aliarum propugnaculum; vt in xiphoidè, palpebris oculorum, cordis basi, larynge, & alijs quibusdam. In alijs ossium vicem supplet; vt in auriculis, naribus, & omninò in illo animalium genere, quod ossibus & spinis caret: cartilagineum propterea nominatur. Est enim velut tulerum, cui molliores & imbecilliores partes adnascuntur adnatæque stabiliantur & sustinentur.

DE VINCULO.

CAPVT XII.

Vinculum, quod à plerisque ligamentum, ab alijs copula, à Grecis *σύνδεσμος* nuncupatur; nil aliud significat in animalis corpore, quam exanguem illam similitarem partem albam, quæ solida est & dura; minus tamen, quam cartilago; ab ossè aut cartilagine membranæ prædura orta. Cuius is maxime necessarius apparatus vsus, qui est in colligando, vinciendo & copulando; tum ossa & cartilagine, vt costarum cartilagine & pectoris ossa; tum ossibus ossa, vt in cubito, genu, & digitis; tum cartilaginibus cartilagine, vt in larynge & alis nasci. Inde nomen impositum. Quæ sanè in re ad totius corporis vnitatem non parùm confert; dum ossa tam multa ita copulat, vt quasi vnum os continuum esse videatur. Siquidem præter capitis ossa, reliqua penè omnia vinculis colligantur.

Alter vsus in motu cernitur; quem vt magis promptum & facilem, sic firmiorem certioremq; que facit dum ossa suapte natura grauiæ & ad motum inepta vinculi beneficio & ope expedite ac sine læsione certò atque constanter trahentes sequuntur musculos. Propterea colligantes nervos veterum medicorum complures appellauerunt: quod motus nervorum proprius videtur. Causamque, cur à quibusdam creditum sit nervos oriri à corde, eam fuisse scripsit Galenus in 3. lib. de locis affectis cap. 6. (Aristotelem nimirum carpens) quòd inter vinculum & nervum distinguere nequiverunt; nervosque crediderunt in cordis sinibus contineri: cum non nervi, sed vincula sint. Certè si ossium & cartilaginum

A articuli vinculis hisce ex cõuentium partium extremitatibus ortis colligati non tenerentur, non dicam vehementi & valido motu, quales plerique existunt, sed quouis ferè leuissimo luxarentur èque naturali sede pellerentur. Interim verò tam mollia sunt, vt dum facile flectuntur, tenduntur, & laxantur, tantum absit, vt motum vlla ex parte impediatur aut retardent, vt sequantur promptissimè, adiuuent, exequantur.

Potè in musculorum tendonibus triplicem item usum reperies. Primum, dum eorum substantiam constituit: siquidem tendo aut nil aliud est, quam vinculum quoddam, aut certè fibras vinculo habet. Alterum, dum continet ac planè prohibet, ne cum musculus mouet, illius tendo nimium eleuetur atque à constituta sibi sede recedat. Quod in brachiali potissimùm & singulis digitorum articulis manifestum est: vt tibiam, pedem, aliæque plura corporis loca prætermittam, in quibus huiusmodi vinculis ceu funiculis transuersim aut verius in orbem obductis tendones plures colligari continerique videntur. Tertium addunt nonnulli, dum substernitur illi velut stragulum. Sicut enim musculo membrana substernitur, qua tutatur illum, ne ab ossè lædatur: sic inter os & tendonem musculi substantiam intercedere inquit, vt ossi absque molestia inferatur tendo. Quæ de re quid ego sentiam, proximum caput indicabit. Neque ignoro alios quosdam ab alijs vsus adiungi: sed non sunt vinculo proprij. Vereorque magnopere, ne vincula, cartilagine, & membranas non satis scriptores illi distinxerint.

DE TENDONE ET musculo.

CAPVT XIII.

De tendone post vinculum libenter dicam, quòd eum non solum credam ex vinculo magnam partem constare, vt Galeno & veteribus ferè visum est, sed nil planè aliud esse, quam vinculum. At neque de eo dici potest, quia simul dicatur de musculo, qui ad eum constituendum, & iuuandum comparatus est: tamen inter carnis genera fuerit antea numeratus. Galenus autem & quotquot eum in tendonis substantia designanda imitati sunt, laborant plurimùm vt exponant, quomodo is inter partes primas simplices & homogeneas commemorari queat, si ex nervo & vinculo componatur. Sic enim illi philosophati sunt, vt ex duodecimo præsertim de vsu partium lib. cap. 3. cognosces. Tendo velut præcipuum arbitrarj motus instrumentum quærebatur à natura: Nervo igitur constare debuit, quia is ad mouendum factus est atque ad membra deductus. At nervus mollior cum esset, tam magna artuum ac membrorum pondera transferre non potuisset, nisi duriore adiutus & roboratus vin-

G iij

Cartilaginibus

Vinculum quid.

Vinculis ossis.

Tendo quid.

Galeni sententia.

Nervorum origo cur creditis sit cor.